

ANTONII MUSÆ
BRASAVOLI MEDICI FERRARIEN-
SIS IN OCTAVVM LIBRVM APHORIS-
morum librum Commentaria.



NULLVM VIDIMVS AD HÆC VSQVE TEM-
pora Græcum Hippocratis codicē, in quo plures alij apho-
rismi non scriberētur, ab his quos Galenus in septem enar-
ratis libris interpretatus est; imò & ipsemet in Commenta-
tione ultimi aphorismi septimi libri hoc idem fatetur. Ob-
tρία uero eorum expositionē prætermisit. Primo, quia idem
dicūt præcise in aliquibus quod dictum est, & eisdem pro-
pè uerbis scribuntur. Secundo, quia si euariant, parum eua-
riant. Tertio, quia aliquo addito in eundem sensum facile
ducuntur. At nobis utile uisum est, omnes hos Aphorismos
quos Galenus prætermisit intactos, in unum conge-
rere, & breuissimis uerbis interpretari, ne uel tantillum ex his quæ ad hunc librum spe-
ctant, in terram cadat, aut inconsideratum prætermittatur. An uero Hippocratis sint,
uel non sint, in præsentiarum disputare non est opus. Illos qui falsi erunt, Hippocratis
non esse constabit: qui autem ueri, si quicquid indicant, cōmodissime expresserint, Hip-
pocrate digni erunt. Hunc uero ordinem in præsentī expositione seruabimus. Primo
aphorismum, ut in Græcis codicibus scriptus est, proponemus. Deinde in Latinam lín-
guam uertemus. Postea, expositionem nostram subscribemus. In quibusdam Apho-
rismorum Græcis codicibus, ante sequentes aphorismos scriptum est, *ἔντε ὑβερ οἱ νόσοι*
idest, Hic nothi & spurij, scilicet aphorismi, incipiunt.

APHORISMVS PRIMVS

Ο Κόσοι ἐπὸρ τὰ πωσαράκοντα ἔτα φρενιτικοὶ γίνονται, & πάντα τὴ ὑγίαι-
νονται. ἢ ἄσθμ γὰρ κινδυνύουσιν οἱσιν ἀν οἰκείη ἐπὶ φύσει καὶ ἐπὶ ἡλικίης
ἢ ἂσθμ ἢ.

Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non omnino sanantur: minus
enim periclitantur, quorum & naturæ & ætati morbus sit conueniens.

BRASAVOLVS

PHRENITIM à biliosa materia fieri, in tertio libro ostendimus. At bilis (ea scilicet
cet de qua in præsentiarum sermo est, quæ flaua est) in iuuenili ætate atq; uigenti abun-
dat. In primo senio, in quo calor diminui incipit, imò iam diminutus est, biles cessant,
& amplius non generantur, nisi modice. Quum uero ab Hippocrate dictum sit, morbos
illos minus periculosos esse, & facilius curari qui ætati conueniunt, tempori & consue-
tudinē: qui uero his non cōueniunt, magis periculosos esse, & difficilius curari. At quæ
phrenitis morbus sit biliosus, in iuuentute fieri congruum est, atq; conueniētius, quàm
in primo senio, uel in ætate etiã prouectiori. Nam in iuuentute & uigenti ætate bile
abundamus, in senio minime. Ob eam rem si phrenitis supra quadraginta annos fiat, ra-
ri sunt, qui euadere possint. nam morbus est qui non conuenit naturæ, neq; ætati, uel sal-
tem ætati, ideo minus sanantur, quippe ægri illi minus periclitantur, quorum & nature
& ætati morbus sit conueniens: idest, non sit præter ætatem, sed ab eo humore depen-
deat, qui in illa ætate uiget. Antiquum quendam codicem incidimus, in quo hoc so-
lum de hac sententiã scriptum est, *ὁκόσοι ὡς πωσαράκοντα ἔτα φρενιτικοὶ γίνονται,*
οἱσιν ἂ πάντα σώζονται. idest, Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non adeo ser-
uantur. Nihilq; aliud adest: quod magis probamus.

Ο Κόσσισι μὲν τῆσι ἀφρώσεισι οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ προαίρεισι διακρύσσιν, ἀγαθόν. ἐκόςσισι δὲ αἰὲν προαίρεισεως, κακόν.

Q Vibuscunq; in morbis oculi ex causa illachrymant, bonum: quibuscunq; autem sine causa, malum.

BRASAVOLVS

NON est opus hunc aphorismum interpretari, quum de eo ubertim actum sit libro quarto, aphorismo quinquagesimo secundo. Tu illuc reuertaris, ubi integram expositionem habebis. Illud solum adnotare conuenit, in aliquibus codicibus non legi ἀγαθόν, sed οὐ κακόν, id est non malum: quod magis probo.

APHORISMVS III

Ο Κόσσισι μὲν τῆσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιμ ἰούσιμ, αἷμα ἐκ τῆς ζυγῶν ζυγῆς, πρηνρόν.

Q Vibuscunq; in quartanis febribus sanguis è naribus defluerit, malum est.

BRASAVOLVS

OB ID forte malum est, quia quum quartana febris ab atra bile fiat, cuius frenum est sanguis, sicuti etiam bilis frenum dicitur, eo exeunte, atra bilis frenum exit: propter ea malum est: & etiam quia ex sanguinis defluxu uires imbecilliores redduntur: nam opus est intelligere defluxum effatu dignum, quia si parum quid flueret, nihil referret: tamen & è naribus & hæmorrhoidibus prodire, idem est.

APHORISMVS IIII

Ι Δράτες μὲν τῆσι κελσίμοισιμ ἡμέρησι γινόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες, πῦνίνιμ ἄλωι, οἱ ὠθόμενοι ἐκ τοῦ μετώπου, ὡσπερ σαλευμοὶ καὶ κρουνοὶ καὶ ψυχροὶ σφόδρα καὶ πρῶτοι. αἰαλγμὴ γὰρ τῆμ τοῖσιν ἰσώτα περιέωτα μὲν βίησ καὶ τῆμ νσ ὑπερβολήσ, καὶ ἐκθλίμειμ πρλυχεοῖσ.

S Vdores in diebus iudicatorijs, uehementes & celeres si fiant, periculosi: præsertim qui ex fronte tanquam guttæ & fistulæ salientes pelluntur, frigidisq; ualde atq; multi, necesse enim est talem sudorem, multa ui & labore & longa expressione exire.

BRASAVOLVS

SI Hippocratis loquendi modum consideremus, statim nobis exploratum comperitq; erit, hunc aphorismum non esse Hippocratis. Tamen si alicui magis curioso in rectum sensum deducere placuerit, id dicat, Si in diebus iudicatorijs magni & celeres sudores contingant, quum natura mutationes repentinas non ferat, sed ipsa paulatim incedat, ob id periculosi sunt: & maxime periculosi, si à fronte adeo copiosi exeant, ut uideantur canaliculi. nam significatur magnam materiæ copiam in capite esse, uel in ipsum defluere: & tunc potissimum malum significant, si ualde frigidi sint, quia frigidi esse non possunt, nisi ex magna frigida materiæ copia, & uirium imbecillitate: nam hi sudores exire non possunt, nisi cum multa uiolentia atq; labore: neq; exire possunt, nisi per longam & uehementem expressionem.

APHORISMVS V

Ε Πι χροῖω νσσίματι Ἐ κριλῆσ κατὰφορῆ, κακόν.

P Ost longum morbum, alui defluxio, malum.

Vel,

In morbo diuturno fluxa aluus, malum.

BRASAVOLVS

Ἡ ἄετινquam defluxio malum portendit, quoniam significat concoctrices vires adeo imbecillas esse, ut earum officio fungi non possint, & relaxatas id prodire, quod absq; coctione infumitur. Tamen si interpretemur *καταφορήν*, id est depressionem, tunc malum est, quia significat magnam extenuationē harum partium, & talem ut uix possit aeger restitui.

APHORISMVS VI

Ὅσα φάρμακα ἐκ ἰήται, σίδηρος ἰήται. ὅσα σίδηρος ἐκ ἰήται, πῦρ ἰήται. ὅσα δὲ πῦρ ἐκ ἰήται, ταῦτα χεῖν νομίζουμ ἀνίατα.

Quoscunq; morbos medicamēta non sanant, ferrum sanat: quos ferrum non sanat, ignis sanat: quos uerò ignis non sanat, hos sanari non posse putato: uel hos incurabiles existimari oportet.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus in ulceribus potissimum uerus est, quando ulcera putrida sint, & mali habitus, adeoq; exedentia, ut nullis medicamentis sanari possint. Intellige uero medicamenta tam quæ euacuant, quàm quæ exterius applicantur, qualia unguenta & cataplasmata, pulueres, & eiusdē generis reliqua. cum ulcera in curatione habeamus, quæ medicamentis sanari non possint, ad ferrum transeamus, & id quod corruptum est, abscindamus, ut in carcinomatibus fit in illis locis, in quibus abscisio fieri potest. At si ferrum, incisio ue satis nō sint; nam adhuc mala qualitas putrida perseverat, igne uti oportet: quippe qui putrentes qualitates puriores reddat, quæ in aliquibus nostri corporis partibus insunt. At si nec ignis ipse putredinem euincere potuit, atque domare, statim hunc sanari non posse iudicabimus; & cum præfatione aliqua honestiori à curatione desistemus.

APHORISMVS VII

Φθίσινδὲ μάλιστα γίγνεται ἀπὸ δεκάτου ἔτους μέχρι τελέουσαι καὶ πρῶτε.

Tabifici morbi, uel tabes, à decimo octauo anno usq; ad trigessimum quintum potissimum gignuntur.

BRASAVOLVS

HIC est nonus quinti libri aphorismus nunc iterum repetitus. Tu in eo loco expositionem quaere.

APHORISMVS VIII

Ἡ δὲ κτλ φύσιν γιγνώμενα κτλ φθίσιν, πάντα μὲν ἰσχυρά, τὰ δὲ καὶ θανατώδεια. διούτορον δὲ ἢ μὲν ἐν τῇ ὥρῃ νεστέῃ αὐτῆ ἢ ὥρῃ ξυμμαχέῃ τῇ νεσσοῦ, οἶον κενύσω θέρου, ὑδρωπικῶ χρομῶν. ἐπὶρικῶ γὰρ τὸ φυσικόν, φοβροτόρον δὲ ἀλλωί.

Quæ secundum naturam ad phthisin uergunt, omnia quidem uehementia. Quædam etiã lethalia. Secundum autem erat morbo in tempore: quando ipsa hora morbo opitulatur. Sicuti ardenti febrī æstas, hydropico hyems: su peruincit enim quod est à natura: idē spleni plus affert timoris.

SI HIC idem uelit Hippocrates, quod alibi ab ipso dictum est, uerus erit aphorismus, scilicet minus periclitari ægrotantes, quando morbi temporì conueniunt, magis quando non conueniunt: ut si in æstate febris biliosa contingat, magis conuenit, & facilius curatur, quàm si in hyeme contingat. E contrario, si in hyeme fiet pituitosa, magis conuenit, quàm si in æstate contingeret. Nam quum morbi in oppositis temporibus fiunt, non possunt nisi à uehementiori causa contingere. Nec simpliciter uerum est, Ea quæ naturaliter sunt, partim mitia esse, partim uehementia, partim mortifera. Nam quæ naturaliter fiunt, semper mitia sunt: nisi in hoc sensu intellexerimus, quòd etiam ægri tudines quæ fiunt in temporibus sibi proportionatis, ut febris biliosa in æstate quandoq; est mitis, quandoq; uehemens, quandoq; mortifera. Verumtamen facta comparatione huiusmet febris in eodem gradu ad eandem in hyeme, semper illa quæ hyeme apprehædet, erit minus mitis, uel magis uehemens, uel magis mortifera. Hanc ob causam si nobis curæ sit hanc sententiã in hunc sensum ducere, opus est dicamus aliqua tempora conuenire ægro, aliqua morbo. Ardens febris si in æstate fiat, illi fauet æstas, tamen æstas non fauet ægro. Vnde ratione morbi æstas fauet, quia uehementem accessionem facit: sed ægro non fauet: quia si æger eo tempore hyemem habere posset, hyems illi magis conueniret. E contrario, aquæ intercuti fauet hyems, sed habenti aquam intercutem non fauet, imò est illi contraria, & lienofo est magis uerenda. Quippe theorema illud uerum est, Naturale semper uincere. Si ita intelligamus, hæc sententiã in uerum sensum deducetur: tamen non erit digna Hippocrate, alioqui in dicendo breui atque celebri. In hac uero expositione, Rauennatis interpretationem sequuti sumus: tamen Græcus codex aliam habet sententiã, hanc scilicet, Quæ secundum naturam ad phthisin uerunt, omnia quidem uehementia, quædam etiam letalia. Secundum autem erat morbo in tempore, quando ipsa hora morbo opitulatur: sicuti ardenti febrì æstas, hydro-pico hyems. Superuincit enim quod est à natura, idq; spleni plus affert timoris. Si recte consideres, alia est hæc Hippocratis sententiã, quàm à Rauennate sit relata.

APHORISMVS IX

Γλωσσα μελαινομήνη καὶ αἱματώδης, ὅταν τοῦ τῶν ἀπὸ τῶν σημείων, καὶ ἢ πρὸς ἀδυνασίαν δηλαδί.

Lingua nigra atque cruenta, quum quid horum signorum abest, malum ualidum non est, & imbecillio rem luctum significat.

BRASAVOLVS

LINGVA ob uehementem earum partium quæ circa os sunt, atque caput siccitatem nigra fit, quod in omni morbo pessimum est signum, & præsertim in febre. At si lingua non sit nigra, febris uehemens esse non potest, sed mitior est. Nam uehemens febris (nisi destillatio ad os descenderit) semper oris nigrorem atq; linguæ facit, & ariditatem. idq; semper in febribus malum iudicauit Hippocrates. Oppositum uero, id est non esse nigram & aridam, salutem quidem non significat, sed ægri tudinem non esse multum uehementem ostendit: & hoc præsertim quum destillatio ad os abfuerit.

APHORISMVS X

Τὰ πάντα μὲν ἐν τῇ τοῖσι πυρετοῖσι ὀξείσσημειοῦσθαι χρὴ, ὅρτε μίμνε ἀφθνήσκειν καὶ ὅρτε σωθίσεσθαι.

Hæc quidem in acutis febribus obseruentur, uti si quis moriturus uel euasurus sit, dignoscamus.

BRASAVOLVS

HIC non est vere aphorismus, sed potius inscriptio ad eos qui sequi debent Aphorismos, nam dicit, Hæc quæ sequuntur in acutis febribus obseruanda esse, ut eos facile cognoscere possimus qui morituri sunt, uel qui à morte sunt euasuri.

APHORISMVS XI

ΟΡΧΙς δεξιός ἰσχυρότερος καὶ ἀναπώροτος, θανατώδης.
TEstis dexter frigidus conuulsusq; mortiferum est.

BRASAVOLVS

EXPERIENTIA hoc ostendit, Si quis ægrotet, huic oscrum extendi, atq; relaxari: in sanis uerò, collectum manere. Quod uero in præsentiarum dicitur, neque unquam experientia didicimus, neq; ratione aliqua exquisita comprobatum inuenimus. Tamen si aliqua sit ratio, hæc est: Quum testis dexter contrahitur, id fieri non potest, nisi ob neruum qui conuellitur. Si etiã frigidus sit, signum est spiritus ad ipsum transmitti non posse, neq; sanguinem: ideo uirium imbecillitas significatur: propterea mortiferum est. Et si petas, cur idem non sit in sinistro, Respondemus, quia dexter calidior est sinistro, & quandam habet cum iecore affinitatem. Propterea non mirum, si quum dexter frigidus est, peius sit, quàm quum sinister.

APHORISMVS XII

ΟΝΥΧΟΙ ΜΕΛΑΝΟΡΟΜΟΙ, ΚΑΙ ΔΟΚΤΥΛΟΙ ΠΡΟΚΛΙΝΟΜΕΝΟΙ ΚΑΙ ΜΕΛΑΝΟΙ ΚΑΙ ΕΚΚΥΠΤΟΝΤΕΣ, ΕΓΓΥΣ Τ' ΘΑΝΑΤΟΥ ΔΗΛΩΣΙΜ.
VNgues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demissi uel proclinati, mortem proximam esse portendunt.

BRASAVOLVS

DE FRIGIDIS pedibus primo Prognosticorum libro, sectione decimanona, scriptum habetur. Hæc uerò omnia quæ in præscripta sententia posita sunt, præter febris initium intelligere oportet. Nam in febris initio, si ungues nigri fiant, & digiti pedum frigidi atq; contracti, mors non significatur. At si in alijs temporibus hæc adfuerint, caloris naturalis mortificationem atq; extinctionem significant: contractioq; digitorum præsertim cum nigredine, nihil aliud est quàm ex siccitate conuulsio. Tria igitur in præsentiarum mortis signa colliguntur: nigredo, quæ mortificationem significat: & frigiditas, quæ naturalis caloris extinctionem: & contractio, quæ conuulsionem ex inactione significat.

APHORISMVS XIII

ΣΗΜΑΙΝΟΥΝΤΙ ΚΑΙ ΤΑ ΑΚΡΑ ΤῶΝ ΔΑΚΤΥΛΩΝ.

Quod etiam digitorum extrema frigida præ se ferunt.

BRASAVOLVS

QUVM in præcedenti aphorismo digitos pedum frigidos, mortis signum posuerit, quispiam putare possit, non esse mortis signum, si in digitis manuum idem contingat. Hanc ob rem, ut hoc remoueat, inquit: Hoc idem etiam (scilicet mortem) proximam ostendunt, postremæ partes digitorum manuum frigida,

ΚΑὶ χεῖλη πελιδνὰ, ἢ καὶ ἀρλελυμγία, καὶ θύερα μμγία, καὶ ψυχρὰ
θανατώδεια.

ET labia liuida, resoluta, inuerfa, frigida si sint, mortiferum est.

BRASAVOLVS

ET HÆC uirium imbecillitatem & caloris extinctionem ostēdunt. Hippocrates libro primo Prognosticorum, sectione decima, idem in aure dixit: & sectione decima quinta, idem in palpebra. nunc uero in labio, si præter naturam suam liuidum fuerit, & resolutum: quumq; erit resolutum, necessario contortū est. si frigidum quoq; sit, signum mortiferum est.

APHORISMVS XV

ΚΑὶ σκορδινιδρ, καὶ ἀρρερεφόρμλν, καὶ ὕπνω καὶ κρύμα πηλῶ κατεχί
μλν, αἰέλπισ.

SI oculi caligant, uel lucem auersantur, qui somno multo & æstu detinetur, extra spem est.

BRASAVOLVS

MELIUS est hæc omnia in uno solo homine simul esse intelligere, quàm quod ipso singulum satis sit, quando ob ægritudinem oculi obscurantur, uel lucem ferre non possunt, & habent intensam caliditatem, ac simul somno graui prematur, hic iam extra spem est. nam hæc fere omnia ob imbecillitatem contingunt. Vel hoc modo sententiã interpretemur, Cui tenebræ obuersantur, & auersus est, & somno & ardore multo percitus est, pro deplorato habetur.

APHORISMVS XVI

ΚΑὶ πηλοσίωμ ἀγρίαμα, καὶ ἀγνώωμ, καὶ μὴ δὲ ἀκούωμ, μὴ δὲ ξωοίης,
θανατώδεις.

SI quis sensim rabie quadam efferatur, si quis non cognoscit, non audit, non intelligit, mortiferum est.

BRASAVOLVS

HIC ob bilis accensionem in rabiem uertitur, Non cognoscit uero, non audit, & non intelligit, ob uirtutis animalis imbecillitatem: ex qua deinde aliæ uires imbecilles fiunt. Propterea quum hæc uidebis, iudica hunc omnino moriturum.

APHORISMVS XVII

ΜΕΛΙΣΙΝ ἀρεθύνοκειμ τῶντα σαφίσοθα γίγνεται, ἢ αἰ κρηλία ἐπαίρονται
καὶ φουσῶνται.

PAULO post morituris signa hæc sunt clara magis, uentriculi si tolluntur, tument & inflantur.

BRASAVOLVS

FORTE quum hæc fiunt, tanta est in uentriculo imbecillitas, ut concoquere non possit, & ex consequenti iecur non sanguificet, & per corpus nutrimentum non distribuat. Hanc ob rem paulo post morietur: & quicquid insumitur, totum in uentriculis recipiatur atque retineatur.

Ορθὸν δὲ τὸ θανάτῳ, ἵαν ἢ τῆς ψυχῆς βδομὸν ἐπανέλθῃ ὑπὲρ τὸ ὀμφαλόν, εἰς τὴν ἀνω τῆν φρενῶν τόπον, καὶ συγκαυθῆ ἢ ὑγρὸν ἀπαυ εἰπειδὴν ὁ πνεύματων, καὶ ἡ καρδία τῶν ἰμμάδα ἀρβαλλῶσι τὸ βδομὸν ἀβροῦν τὸ ἐν τοῖσι δαινατώδεσι τόποις, ἀρπνίει ἀβρόον ἢ πνεύμα τὸ βδομὸν, ὅθεν πῶρ (ῶνίση ἢ ὄλον) εἰς τὸ ὄλον. πάλιν ἢ μὲν ὄλε τῆν ἀρκῶν, ἢ δὲ ὄλε τῆν ἐν κεφαλῇ ἀναπνοῶν, ὅθεν ἢ ξίῦν κελουμέν, ἀρλείπυσα ἢ ψυχῆ ἢ τὸ σώματ' ὀκλύθῃ, καὶ ἢ ψυχῶν, καὶ ἢ θνητῶν εἰδωλῶν ἄμα καὶ χολῆ καὶ αἵματι ἐφλέγματι καὶ ἄρνη πῆιδωκῶν.

Terminus uero mortis hic est, quum animæ calor supra umbilicum præcordiaç recurrit & ascendit, ac omne humidum humorem exurit & siccatur: quum autem cor pulmōç humiditatem caloris collecti mortiferis in locis sentiunt, totum caloris spiritum efflant, unde totum in toto consistit. præterea quidem partim per carnem, partim per spiracula capitis spirant, quod uiuere dicimus: corporisç capsulam & alueum anima frigidum mortuumç unà simulacrum relinquit, sanguinīç, bili, & pituitæ, & carni concedit.

BRASAVOLVS

NVLVS EST qui ambigere possit, hunc aphorismum Hippocratis non esse, & in eo esse quædam absurda: nisi quis sensum extorquere uoluerit. Cui igitur illum exponendum placuerit, relinquimus. nam & aliquæ partes sunt etiam in ipso ueræ.

HI SVNT APHORISMI, qui in Græcis Hippocratis codicibus inueniuntur, quos in unum colligere uoluimus, & in hunc ordinem distribuere, ne quicquam dimitteremus in hac nostra Commentatione, quod uel faciat ad Aphorismos, uel non faciat, sed facere uisum sit. Tamen ad perfectiorem intellectionem potest hoc subscripto modo hæc sententiâ uerti: Terminus autem mortis, si animæ calor redeat supra umbilicum in superiorem præcordiorum locum, & simul aduratur omne humidum: postquam pulmo & cor omnem uaporem abiecerit, calore collecto in locis morti obnoxiijs, uniuersus spiritus caloris expirat: unde consistit totum in toto. rursus quidem hoc per carnes, hoc uero per exhalationes in cerebro: unde uiuere appellamus. relinquens anima corporis umbraculum & frigidum & mortale simulacrum simul & bili & sanguini & pituitæ & carni reddidit. Tamen id uerissimum est, naturalem calorem redire ad præcordia quando homines moriuntur, & adeo intendi, ut omnia propinqua conuellantur eo conuulsionis genere, quod ex inanitione est, & plerūç ex eadem causa fiunt singultus; ultimumç quod frigeſcit in corpore, cor est.

APHORISMORVM


LIBRI VLTIMI

FINIS.

THE
FIRST
PART

OF
THE
HISTORY
OF
THE
EMPEROR
ROMULUS

BY
JOHN
BRYANT



A
BRAS
RIE